



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 149. Quibus diebus sit audienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

618 Q. 149. Quibus diebus audienda sit Missa.

§.1. Si Festum sit à Principe sacerdotali impositum aut ex consuetudine observetur à populo sine approbatione Episcopi, non est in conscientia obligatio audiendi Missam vel abstinendi à servilibus, quia non est Festum sacrum, sed sacerdotiale. *Tamb. Gob. T. 5. n. 75. & 87. Pasq. q. 1251*, simul notantur posse peccari contra obedientiam Principi debitam si hic strictè mandasset observari.

§.2. In Festo, quod solus Episcopus indicit reclamante Clero vel populo, etiam non est obligatio audiendi Missam, quia Episcopus nequit ullum Festum instituere sine Cleri & populi consentienti uti habetur *Cap. Conquestus. ult. de Feriis, & probat pluribus Barbos. Gav. Jord. Gob. n. 72*: potest autem consentiente Episcopo populus vovere Festum ad quod tenebuntur etiam posteri, non vi vobis quod erat personale, sed ex Precepto Episcoporum approbantis & ita implicitè præcipientis tale Festum uti notant *Suar. Laym. & Gob. n. 86*; posséque est Festum mediæ tantum diei, in qua manè esset obligatio ad Missam & ad abstinendum à servilibus à prandio autem laborari posset, *Gobat* num. 112. Potest autem Episcopus unum tantum proprium in Diœcesi Festum instituere præter communia, v.g. Festum Patroni vel Tutelaris, deinde potest ex causa, uti ob vindemiam, transferre Festum fortius, v.g. *S. Michaëlis* ad aliud tempus, uti habet *Gob. T. 5. n. 230*, licet alii repugnant, an verò expedit multa esse Festa, disputat *Gob. in Quin. T. 5. c. 45. S. 3*, ubi videri potest; in *Exp. T. 5. n. 72*, dicit hoc etiam, quā ita invaluit multitudo Festorum cum ingenti molestia Mechanicorum, magis cogitandum est de modo abrogandi plura, quam instituendi novi.

§. 3. Non est obligatio ad Missam die Cinerum,⁶²⁰
Festo S. Marci, Festo Animarum; neque Coloniæ
Festo Theophoriæ. De reliquis ejusmodi diebus
habet Busenbaum.

§. 4. In dubio, an sit Festum, teneris mediocre⁶²¹
studium adhibere, ut intelligas, non teneris tamen
per sesqui-horam iter facere, ut id interroges,
hoc enim foret immodicum studium, quo forte
frustra, impediri posset labor diurnus per longum
tempus; unde si permaneat dubium, non erit
obligatio ad Missam, quia in dubio possessio est
pro libertate, *Pafq. quæst. 1325.* Quod si Pater dicat
esse Festum Præcepti, Mater verò dicat esse devo-
tionis tantum, teneberis (per se loquendo) potius
credere Patri, quia ejus testimonium est majus, &
ejus potestate es dirigendus, *Gobat à num. 460.*

Q. 150. Qualis Missa sit audienda. R. §. 1. Peccat,⁶²²
qui audit Missam excommunicati non tolerati, aut
publici percussoris Clerici, uti cum communī
S. Thomas 3. P. Q. 82. art. 2. Si tamen quis audisset,
secundūm *Dicast.*, & *Gob. T. 5. num. 522.* satisfecisset
Præcepto, quia posuisset substantiam rei præceptæ,
secundūm *Pafq. q. 1269.* non satisfecisset, quia tum
tantum impletur Præceptum per actum peccami-
nosum, quando ponitur materia, quæ præcipitur,
hic autem non ponitur materia illa, quæ præci-
pitur, nam Missa illa prohibetur legi & audiri,
Missa autem prohibita non est Missa præcepta, ergo.
Neque dicas Missam secundūm se præcipi: Nam
præcipitur cum omnibus circumstantiis necessariis
ad hoc, ut hic & nunc audiatur, inter illas autem
circumstantias est persona celebrans, cuius Missa
hic prohibetur. Utraque sententia est probabilis,
sed prima videtur verior.

§. 2.